

APHORIS **Melancholix Hypochondricæ nomen, à Causâ
& Sede materiæ seu mineræ morbificæ sumitur.**

χολίον.

Nominis declaratio ac deductio, licet ad curationem rectè instituendam ac peragendam faciat partum, vel omninò nihil: non enim verbis, sed herbis Medicum suo defungi munere, vetus habet proverbium; tamen cum ut *Cicero* ait: Omnis cum rectâ ratione de re aliquâ suscepta tractatio, à nominis proficisci debeat explicatione. Et, uti *Scalig. Exercit. 1. Sect. 1.* dicit: à nominis seu vocis consideratione, sæpenumero provehimur in rei perceptionem; nominaq; sint symbola rerum. Et nos, ne in aliquo defecisse, aut muneri nostro defuisse, videamur; vel cujusquam subeamus reprehensionem, ac censuram severiorem experiamur; meritò inde dissertationis nostræ ducimus filum.

MELANCHOLIA autem, quanquam hic morbi non humoris nomen sit: uti etiam apud *Hippocr. Aphor. 14. Sect. 3. & lib. d. aër. aqu. & loc.* tamen ex illorum affectuum præternaturam genere est, qui ad stipulante *Galen. 2. med. meth. c. 2. & 3. d. loc. aff. c. 7.* nomen à causa sortiti sunt; seu materiâ ac minerâ, quæ illos producit, ac fovet. Humoris verò melancholici, ita strictè ac pro excremento sumpti, duo esse genera. UNUM excrementitium naturalem, qui fex quasi ac limus sanguinis, & μέλας χυμός, melancholiaq; in specie dicitur; cum primisq; circa Lienem cumulatatur, estq; coctionis ejus excrementum. ALTERUM μέλαιαν χολήν atram bilem; qui ex adustione sanguinis humorumq; reliquorum, bilis nimirum ac melancholix provenit. Cum *Gal. loc. 2. de fac. nat. c. 9. Communis German. præceptor Celeberr. D. D. Sennert. l. 2. Instit. medic part. 2. c. 6. ac lib. 1. med. pr. part. 2. c. 6.* docet; quo cum & *Petr. Forest. l. 10. Observ. 18. in Schol. Amat. Lusitan. Cur. med. cent. 4. Cur. 42. Hier. Mercurial. d. aff. cap. & part. ann. l. 1. c. 10. D. Cassp: Hoffman. in libr. de usu Lienis, de priori maximè; item Gorra. definit. Medic. consentiunt.*

De quo verò in præsentia agere instituimus affectu, ex eorum numero est, qui è prioris generis humore ortum suum ducit; quando
nimi